

consummare, et in eo remanere licite possis et valeas: In nomine Patris, et Filii, etc. Item eadem auctoritate Apostolica, prolem, si quam suscepisti et susceperis, legitimam fere decerno et declaro: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, » etc. Quæ item formula, variatis variandis, potest etiam inservire pro aliis consimilibus casibus occultis.

(33. Hic pro complemento advertendum est quod Confessarius potest absolvere et dispensare penitentem, quamvis ante executionem dispensationis obtentæ iterum copulam illicitam habuerit cum eadem sorore feminæ quam ducere intendit, quia repetita illa copula non inducit novum impedimentum affinitatis, sed manet illud unicum, quod prius contractum erat, sicuti antequam obtinuisset dictam dispensationem decies: v. g. illam eandem sororem cognovisset, unicum esset impedimentum, nec in supplicatione opus fuisset exprimere quoties illam cognovisset, cum affinitas non per diversas copulas cum eadem persona, sed solum per diversas personas multiplicetur. Sanch., lib. viii, disp. 24, num. 38; Pontius, lib. viii, cap. 17, §5, num. 30; La Croix, lib. vi, part. iii,

INSTRUCTIO

PRO EXAMINE ILLORUM TESTIUM QUI INDUCUNTUR PRO CONTRAHENDIS MATRIMONIIS, TAM IN CURIA EMINENTISSIMI D. CARDIN. URBIS VICARII QUAM IN ALIIS CURIIS CÆTERORUM ORDINARIORUM.

(1. In primis, testis moneatur de gravitate iuramenti, in hoc præsertim negotio pertimescendi in quo divina simul et humana majestas læditur, ob rei de qua tractatur importantiam et gravitatem, quod imminet poena tritemium et fustigationis deponenti falsum.

(2. Interrogetur de nomine et cognomine, patria, ætate, exercitio, et habitatione.

(3. An sit civis vel exterus, et quatenus sit exterus, quanto tempore est in loco in quo testis ipse deponit.

(4. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus. Si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia præsumitur mendax; si vero dixerit accessisse requisitus, interrogetur a quo vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquid impedimentum inter contrahere volentes.

(5. Interrogetur an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio, ipsorum nomine.

(6. Interrogetur an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cujus qualitatis vel conditionis existant. Si responderit negative, testis dimittatur; si vero affirmative,

(7. Interrogetur an contrahere volentes sint cives, vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum

num. 990; Vincentius, de Justis, lib. i, cap. 4, n. 161 et seq., cum aliis ibi citatis. (34. Secus autem esset dicendum si post obtentam ipsam dispensationem nondum executam, dictus penitens iterum copulam haberet, non cum eadem dicta sorore, sed cum alia persona diversa intra secundum gradum conjuncta feminæ quam ducere intendit, quia tunc insurgeret novum impedimentum, et nova opus esset dispensatione, cum dispensatio non extendatur ad alias affinitates seu ad alios casus postea exortos: Ludovisius dec. 34, n. 2; de Justis, loc. cit., num. 163 et 164, et alii citati. Unde denuo deberet in tali casu recurri ad sacram Penitentiarum et exponi integre factum.

(35. Dispensatio concessa, seu gratia facta a sacra Penitentiarum seu majori penitentiarum, non expirat morte Pontificis, etiam re integra. Ejus enim auctoritas non expirat morte Papæ. Et si major penitentiarum alique penitentiarum, Sede Romana vacante, moriantur, alii subrogantur a collegio cardin. Clementin. de electione, c. Ne Romani, § Eo tamen, Pius IV, Constit. 33, incip. In sublimi; S. Pius V, Constit. 83, incip. In omnibus.

libero statu, de eo tempore quo permanserunt in sua civitate vel diocesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causæ eorum scientiæ, absque eo quod teneantur deferre attestaciones ordinariorum locorum in quibus, contrahere volentes moram traxerunt. Si vero responderit contrahere volentes esse cives,

(8. Interrogetur sub qua parochia hæcenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præsentem.

(9. Item, an ipse testis sciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum, aut professum fuisse in aliqua religione approbata, vel suscepisse aliquem ex ordinibus sacris, subdiaconatum scilicet, diaconatum, vel presbyteratum, vel habere aliud impedimentum ex quo non possit contrahi matrimonium? Si testis responderit non habuisse uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, ut supra,

(10. Interrogetur de causa scientiæ, et an sit possibile quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum, etc., et quod ipse testis nesciat. Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem, vel maritum, neque ullum

aliud impedimentum, etc. Si vero responderit negative,

(11. Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deinde iudex colligere poterit an testis sit danda fides. Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos,

(12. Interrogetur de loco et tempore quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, et nunc esse mortuos. Et si responderit mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis in quo prædicti decesserunt, vel rectore ecclesiæ in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest, a duce illius cohortis in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, sacra congregatio non intendit excludere alias probationes quæ de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitime et sufficientes.

(13. Interrogetur an post mortem dicti conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus, transierit ad secunda vota. Si responderit negative,

(14. Interrogetur an esse possit quod aliquis ex aliis transierit ad secunda vota, absque eo quod ipse testis sciat. Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter; si vero negative,

(15. Interrogetur de causa scientiæ, qua perpensa, iudex poterit judicare an sit concedenda licentia, neque.

(16. Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides ordinariorum suorum esse liberos, et in aliis, servata forma concil. Trid. in cap. Multi, sess. 24. Fides aliaque

INSTRUMENTA.

Vide verb. SCRIPTURÆ.

INTENTIO.

SUMMARIUM.

1. Intentio generatim sumpta quæ sit, et quomodo dividatur, ad n. 2. — 3. Quæ sit intentio actualis, virtualis, habitualis, ad num. 5. — 6. In quo differant inter se intentio habitualis et virtualis. — 7. Quæ sit intentio interpretativa, explicita, implicita, directa, indirecta, absoluta, conditionata, ad num. 13. — 14. Ad valide conficienda, seu ministranda sacramenta, quæ intentio sufficiat, quæ vero non, ad num. 20. — 21. Ad valorem sacramenti an sufficiat in ministro intentio ponendi materiam, et formam, vel ex joco, vel serio, et pure materialiter,

(1. Intentio generatim sumpta est actus voluntatis volentis aliquid facere vel fieri a se, vel ab alio. Est in re communis. (2. Intentio dividitur in actualem, virtuales, habituales, et interpretativas. (3. Intentio actualis est illa quam quis actu elicit et habet dum actualiter facit opus intentum, actu scilicet cogitans, et volens, seu intendens illud quod facit. (4. Intentio virtualis est

documenta quæ producuntur a partibus non admittantur, nisi sint munita sigillo et legalitate episcopi ordinarii, recognita saltem per testes qui habeant notam manum et sigillum; et attente consideretur quod fides seu testimonia bene et concludenter identificent personas de quibus agitur.

(17. Pro testibus in hac materia, recipiantur magis consanguinei quam extranei, quia præsumuntur melius informati; et cives magis quam exteri, nec admittantur homines vagi, et milites, nisi data causa et maturo consilio. Et notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscit, utatur clausula, *michi bene cognitus*; sin minus examen non recipiat, nisi, una cum persona testis, aliqua alia compareat cognita notario, et quæ attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, necnon de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum. Et hujusmodi examinibus debet interesse in urbe, ultra notarium, officialis specialiter deputatus ab eminentiss. vicario; et extra urbem, vel vicarius episcopi, vel aliqua persona insignis et idonea ab episcopo specialiter deputata. Alias puniatur notarius arbitrio sacre congregationis, et ordinarius non permittat fieri publicationes.

(18. Ordinarii præcipiant omnibus et singulis parochis in eorum diocesis existentibus ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum ecclesiis, nisi certiorato ordinario, a quo, vel ejus vicario generali, prius teneantur fidem authenticam reportare quod pro tali matrimonio fuerint examinati testes in eorum tribunali, qui probent statum liberum contrahere volentium, etc. Contravenientes autem severe puniantur.

Franciscus Richardus, S. Rom. et univers. Inquisit., etc.

intentione actuali celebrandi missam, induit se sacris vestibus, et vadit ad altare, et dum celebrat, sit distractus, et ex distractione non considerat actualiter actum quem exsequitur. Talis sacerdos sic distractus dicitur celebrare cum intentione virtuali, quia virtute intentionis prius actualiter habitæ celebrandi missam, applicantur potentiæ exteriores ad omnes illos actus concernentes et perficientes missæ celebrationem. (5. *Intentio habitualis* est volitio seu intentio mere præterita, et non revocata, sed ita interrupta, ut nec in se, nec in virtute, seu efficacia, censeatur adhuc perseverans in aliqua operatione morali, cum talis habitualis intentio possit esse nedum in homine rationis compote, vigili, et sobrio, sed etiam in homine rationis impote, dormiente, et ebrio, qui tamen moraliter operari nequeunt. (6. Unde in hoc potissimum differunt inter se intentio habitualis et intentio virtualis quod intentio habitualis duo tantum requirit: primo, quod præcesserit intentio actualis; secundo, quod talis intentio non sit revocata. At vero intentio virtualis, ultra hæc duo, requirit aliquod tertium, id est remanentem aliquam virtutem, vim, efficaciam instruentem, et moventem ad opus præsens intentum; ut patet ex dictis num. 4. (7. *Intentio interpretativa* est illa quam homo nunquam habuit, est tamen ita comparatus animo, ut eam haberet si de ea cogitaret.

(8. Intentio alia est *explicita*, qua volumus et intendimus aliquid in se clare cognitum et cogitatum. (9. Alia *implicita*, qua volumus et intendimus aliquid solum confuse cognitum, volendo aliquid sub quo, vel in quo illud continetur. Sic qui vult, v. gr., subdiaconatum, cognoscens in confuso quod aliqua onera gravia sint illi annexa, implicite intendit obligationem ad castitatem et ad horas, quamvis de illis explicite seu expresse non cogitet. (10. Alia *directa*, qua volumus et intendimus aliquid in se ipso formaliter et positive. (11. Alia *indirecta*, qua aliquid in se ipso directe quidem minime volumus et intendimus, et tamen volumus et intendimus directe causam aliquam, unde videmus illud aliud tanquam effectum secutorum. Sic volens hiberè vinum meracum, probe advertens se inebriandum, quamvis tunc minime velit et intendat ebrietatem directe in se, ipsam tamen vult et intendit directe, tanquam prævisum effectum illius potationis. (12. Alia *absoluta*, qua volumus et intendimus aliquid simpliciter ac libere independentem ab omni conditione. (13. Alia *conditionata*, qua volumus et intendimus aliquid solum dependentem a tali vel tali conditione, ita ut nostrum velle non sit efficax, nisi illa conditio ponatur, vel posita esse cognoscatur.

(14, 15. Ad valide conficienda seu ministranda sacramenta, quamvis sit optima, non est tamen necessaria intentio actualis. *Communissima*. Est enim ad id plene sufficiens intentio virtualis, ut sentiunt communiter doctores cum S. Thoma 3, part. Summ., q. 64, art. 8; S. Bonaventura in Breviloq. 6, p.

cap. 5, de sacr. disput.; Soto in 4, d. 6, quæst. 6, et aliis passim. Et ratio est quia talis virtualis intentio sufficit ad omnes alios humanos contractus et actus, nec Christus majorem intentionem et attentionem requisivit ad sacramentorum confectionem et administrationem quam ad alios humanos contractus et actus, adeoque, etc. (16. Non sufficit autem intentio habitualis, quia ex habitu agere non est humano modo agere, ut quisque fatetur de eo quod stultus, aut phræneticus, aut dormiens agit vi habitus quem contraxit: *Communis*. (17. Multo minus sufficit intentio interpretativa, quia hæc, ut patet ex ejus definitione, nec est, nec fuit intentio re ipsa existens, sed tantum quæ existeret si occurreret cogitatio de illa efficienda. Quod autem non est non potest dirigere confectionem seu administrationem sacramenti, ut nomine Christi et humano modo fiat, adeoque, etc. *Communis*. (18. Nec etiam sufficit intentio indirecta tantum, quia ebrius, v. gr., prout in exemplo allato sub num. 11, pro hac intentione indirecta non agit humano modo et moraliter, sed mere naturali ac brutali, cum non agat libere seu ex deliberatione rationis: imo, dato etiam quod se inebrians, et prævidens, se in ebrietate adhibiturum materiam et formam, antea expresse intendat et velit conficere sacramentum in ebrietate, adhuc nihil efficit, quia illa intentio præcedens moraliter nullo modo influit in actionem secutorum in ebrietate, sed eam mere naturalem et inhumanam relinquens, manet mera intentio habitualis: *Communis*. (19. Nec tandem sufficit intentio conditionata sub conditione de futuro: *Communis*. Et ratio est quia intentio ministri sacramenti debet adesse quando fit actio sacramentalis, cum non sit in ejus potestate suspendere effectum sacramenti in futurum. Intentio autem conditionata de futuro, eo ipso quod sit suspensiva in futurum, non adest, nec quidquam operatur de præsentem, quando fit actio sacramentalis, cum conditio nondum sit posita. Imo neque operabitur in futuro, quando ponetur conditio, quia tunc non erit amplius actio sacramentalis, neque ipsa intentio, nisi ad summum habitualis nihil operans; adeoque, etc. (20. Sufficit tamen intentio conditionata sub conditione de præsentem vel præterito, dicendo, v. g.: « Si adhuc vivis, si non fuisti baptizatus, ego te baptizo; — si es capax, si concubinam domo ejecisti, ego te absolvo. » Et ratio est quia conditio de præsentem aut præterito, cum sit posita extra causam, et non sit dependens in futurum, non suspendit intentionem et actionem; sed mox facit transire in absolutam et efficacem.

(21. Ad valorem sacramenti non sufficit in ministro intentio ponendi materiam et formam ex joco. *Est de fide*, contra Lutherum, Calvinum, et alios, apud Bellarminum de Sacramentis, lib. 1, cap. 17, qui dicunt sufficere si res et verba quomodocunque ponantur, dummodo adsit fides in suscipiente. Colligitur ex concilio Florentino in decreto Eugenii IV ad Armenos, et conc.

Tridentino sess. 7, canone 11, ubi ad valorem sacramenti statuitur requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, et etiam ex articulo 12, inter justissime damnatos a Leone X constit. incip. *Exsurge, Domine*, ibi: « Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus. » Quem articulum etiam expresse damnat conc. Trident. sess. 14, de Pœnitent., canon. 9, ibi: « Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judiciale, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed joco absolvat..... anathema sit. » Quod autem dicitur de absolute valet de conficiente quodvis aliud sacramentum.

(22. Neque etiam sufficit ad valorem sacramenti intentio tantum materialis ponendi materiam et formam serio et pure materialiter, sed necessario requiritur intentio formalis ponendi ea, ut sacramentalia, et saltem faciendi quod facit Ecclesia: id est, non sufficit in ministro intentio pure materialis et externa, sed requiritur intentio vere formalis et interna. *Est fere communis*, contra quosdam antiquos et aliquos recentiores relatos et secutos a Juenin. dissert. 1, de Sacramentis in genere, quæst. 5, art. 3, per tot., ubi acriter tenet et defendit ponentem serio materiam et formam, etsi non intendat sacramentum, imo positive dicit: *Non facere sacramentum*, equidem illud conficere, quia intentio illa contraria tantum est inefficax, quandoquidem, illa non obstante, ponat partes sacramenti constitutivas, adeoque sacramentum. Ast hanc opinionem vocat Augustinus Bernal d. 17, n. 55, omnino falsam; Herinex d. 3, n. 16, improbabilem; Ariaga d. 19, n. 13, non tantum improbabilem, sed forsitan etiam pene erroneam; Lugo d. 8, n. 15, dicit parum distare ab errore hæreticorum; Vasquez d. 138, n. 34, putat esse expresse damnatam, ideoque num. 29 dixerat oppositum ab Ecclesia definitum, et La Croix, lib. vi, part. II, sub num. 54, dicit hoc esse saltem certissimum, postquam Alexander VIII, die 7 Decembr. 1690, damnavit sequentem propositionem 28, in ordine, ibi: « Valet baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vere in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere quod facit Ecclesia. » Et per hanc damnatam propositionem fuisse damnatam supradictam opinionem tenet Viva in d. propositione 28 Alexandri VIII, n. 1; Henno in Theologia Dogmatica, tom. II, tract. de Sacramentis, disp. 4, qu. 2, art. 2, conclus. unic., et alii passim; quamvis Juenin. loc. cit., art. 1, contendat per ipsam non damnari talem opinionem. Imo Henno loc. cit., et alii dicunt talem opinionem expressissime contrariari concilio Tridentino sess. 14, de Pœnitentia, ubi La Croix, loc. cit., recte observat concilium ibi requirere in sa-

cerdote animum, non tantum serio agendi, sed vere absolventi; dicit enim ibi Concilium: « Atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, nec etiamsi.... sacerdoti animus serio agendi et vere absolventi desit, putet se esse absolutum vere, et coram Deo. » Ubi nota verba illa, *serio agendi et vere absolventi*. Quod autem dicitur de hoc sacramento, idem est de aliis. Vide infra num. 57 et seqq.

(23. Probatur igitur veritas nostræ conclusionis, et simul ostenditur falsitas contrariæ opinionis. De fide est requiri ad sacramenta intentionem faciendi quod facit Ecclesia; hoc habetur expresse definitum ex concilio Florentino in decreto Eugenii IV ad Armenos, ibi: « Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; » et ex concilio Tridentino sess. 7, canon. 11, ibi: « Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit. » Atqui Ecclesia non facit cæremoniam profanam et materiale, sed sacram et formalem, non naturalem, sed sacramentalem. Ecclesia enim per suos ministros in conficiendis sacramentis operatur nomine Christi, cum quilibet ejus respective minister dicat in nomine Christi: *Ego te absolvo: Hoc est Corpus meum*, et hujusmodi. Unde Apostolus, 1 Corinth. IV, dicit: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*; Ergo non solum requiritur ad sacramentorum valorem intentio ponendi serio ritum externum ab Ecclesia præscriptum, sed etiam intentio operandi nomine Christi, atque adeo, sine intentione faciendi formaliter quod facit Ecclesia, nullum Sacramentum valide conficitur seu confertur, et a fortiori si habeatur intentio opposita, dicendo, *Non intendo facere quod facit Ecclesia*.

(24. Tum quia Ecclesia in rubricis missalis, § de Defectu intentionis, expressissime declarat sacerdotem serio proferentem formam super materiam præsentem, et quidem in iis circumstantiis in quibus creditur ab omnibus consecrare, nihil tamen efficere, si desit intentio consecrandi: « Si quis habeat coram se, inquit, undecim hostias, et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. » Quid clarius? Nonne ex his evidenter apparet solum contumacem posse deinceps de Ecclesiæ mente circa hoc dubitare? Tum etiam quia, si Ecclesia tantum exigeret intentionem ponendi ritum externum, nunquam exegisset ultra positionem materiæ et formæ intentionem ministri, cum sit impossibile ut quis in sui præsentia ponat materiam et formam, et non intendat ponere.

(25. Aliæ rationes passim assignantur a doctoribus, et signanter ex absurdis, quæ sequerentur. Nam si sufficeret sola intentio illa materialis qua quis libere velit ponere

talem materiam et recitare tanta verba quæ ad Sacramentum requiruntur, sequeretur quod sacerdos legens ad mensam ex sacris Bibliis, vel alio libro verba illa: *Hoc est Corpus meum; Hic est sanguis meus*, consecraret omnem panem et omne vinum in mensa appositum. Item, si quis in theatro ageret personam Constantini, et modo agendi externo baptizaretur, reipsa rebaptizaretur, et alia hujusmodi, quæ sine dubio sunt maxime absurda. Unde, ne hæc admittantur, dicendum est quod ad conficienda sacramenta non sufficit intentio sola materialis, sed requiritur necessario intentio formalis conficiendi sacramenta.

(26. Objiciunt adversarii varias auctoritates sanctorum Patrum, et signanter, aliis brevitate gratia omissis, auctoritatem sancti Augustini et S. Thomæ. Sanctus enim Augustinus, dicitur ipsi, lib. vii, contra Donatistas, c. 53, docuit baptismum fallaciter collatum valere, præcise dicens: « Nihil interest ad integritatem sacramenti in Ecclesia catholica utrum id aliqui fallaciter an veraciter agant. » Et S. Thomas in 4, dist. 7, quæst. 1, art. 2, sic præcise docet: « Non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta. Et ideo, si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est catechumenus. » Quod confirmat in sua Summa 3, part. quæst. 64, art. 8, ad 2, ubi postquam retulit opinionem eorum qui mentalem intentionem requirunt in ministro ut sacramenta valeant, sic de opposita sententia loquitur: « Alii melius dicunt quod minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister; in verbis autem quæ profert exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimat ex parte ministri vel recipientis. »

(27. Ad supra dictas autem auctoritates respondetur, quod S. Augustinus ibi loquitur de baptismo dato et accepto fallaciter, hoc est in schismate, cum hæresis, schisma, et iniquitas ministri non obstat valori Sacramenti. Sic doctissimus P. Viva in cit. damnata ab Alexandro VIII propositione 28, n. 5, et alii. Sanctus vero Thomas (quem ob allata testimonia fecerunt oppositæ sententiæ patronum Vasquez, Bernal, et alii, et præcipue Juenin loc. cit., § 3, per totum) ibi solum docet non requiri intentionem mentalem expressam, seu exterius manifestatam, ut interpretatur Gonetus ex contextu: expresse enim, art. 10, requirit intentionem internam ad validitatem sacramenti. Sic Viva loc. cit., n. 5.

(28. Objiciunt adhuc adversarii dicendo quod lutherani et calvinistæ, v. g., non intendunt facere quod facit vera Ecclesia, nempe Romana, sed solum quod facit sua Ecclesia lutherana et calviniana, et tamen valide baptizant; adeoque, etc. Sed statim respondetur distinguendo antecedens: Non intendunt intentione particulari et explicita, concedo; intentione generali et implicita,

nego. Intendunt enim facere quod instituit Christus, et consequenter cum nihil faciat Ecclesia Romana quam quod Christus instituit, intendendo primum intendunt secundum. Quamvis enim falso credant non Romanam catholicam, sed suam lutheranam et calvinianam esse veram Ecclesiam, adhuc tamen volendo facere quod vera Ecclesia facit, implicite volunt facere verum sacramentum quod vult facere vera Ecclesia, etiamsi ipsi circa existentiam veræ Ecclesiæ errent.

(29. Instant dicendo: Atheistæ possunt valide baptizare; sed isti, cum nec Deum, nec Christum, nec Ecclesiam agnoscant, imo omnia illa reputent chimerica, non possunt velle quod Christus instituit aut Ecclesia facit; ergo, etc. Respondetur autem distinguendo Minorem: non possunt velle expresse et distincte, concedo; implicite et confuse, nego: quia possunt velle facere quod vident a Christianis fieri, et consequenter quod Ecclesia facit; sicut accidit quibusdam paganis et infidelibus quibus Christus et Ecclesia erant ignoti. Unde Innocentius IV, in c. 1 l. iii. Decret. sic dicit: *Non est necesse quod baptizans sciatur quid sit Ecclesia.*

(30. Objiciunt insuper adversarii dicendo quod nostra sententia repugnat divinæ bonitati; quia ipsi divinæ bonitati repugnat quod damnatur infans vel homo tantum attritus, propter malitiam ministri, qui sine intentione interna externe tantum fingit se baptizare et absolvere: quod non potest evenire in sententia contraria, tenendo nempe quod ad valorem sacramenti non requiritur necessario intentio interna et formalis, sed sufficiat intentio externa et materialis. Ad id respondent Alensis, Durand, Gabriel, et alii apud Aversam q. 64, sect. 3, dicendo quod Christus in ejusmodi casibus supplet effectum gratiæ. Quam opinionem non improbat S. Thomas, favetque Valentia apud Escobar, lib. viii, num. 254, et apud La Croix, lib. vi, p. 1, sub. n. 54. Similiter S. Bonaventura, Silvester, et alii apud Dicastill., de Baptismo, d. 1, dub. 13, et La Croix loc. cit., putarunt Deum supplere in baptismo collato pueris nondum absoluta forma mortuis. Imo Cajetan. putavit tales pueros, qui baptizari non possunt, salvari perfidem parentum; Gerson. docuit Deum, saltem quandoque, supplere extraordinarie. At recte dicit Suarez in Comment. ad q. 64, art. 8, omnes supplementationes illas non fundari in ulla lege vel promissione Dei, imo carere omni ratione probabili. Hinc Henriquez opinionem primam vocat imperitam, Cabrera temerariam et erroneam, Escobar improbabilem, eamque recte confutant Gonet, d. 6, ad n. 42; Herinex, d. 6, a n. 21; Dicastill. loc. cit., et alii. Unde dicendum est tales damnari propter peccata sua originalia vel actualia quæ contraxerant et remissa non sunt. Quod autem remissa non sint, non est defectus bonitatis in Deo, qui dederat media, sed est occasionaliter per malitiam ministri, quam Deus impedire non tenebatur; imo nec poterat,

salva lege ordinaria Providentiæ. Hactenus sapientissimus P. Claudius La Croix loc. cit. Vide eminentiss. card. Gotti., tom. XIII, suæ Theolog. q. 7, dub. 4, et D. Cajetanum Mariam Merati, tom. I, part. iii, tit. 7, n. 2, ubi multa ad rem.

(31. Ad valide recipienda sacramenta quorum sunt capaces pueri et perpetuo amentes, nulla requiritur in ipsis propria intentio aut consensus: *Communissima* inter catholicos ex universali Ecclesiæ praxi, quæ tales baptizat, licet noverit intentionis formandæ esse incapaces. (32. In adultis vero ratione utentibus requiritur semper aliqua intentio diversa, pro diversitate sacramentorum recipiendorum. *Communissima*. (33. Ad baptismum enim sufficit intentio habitualis semel habita et non revocata: *Communis ac certa*. Imo sufficit etiam intentio implicita tantum: *Communior ac probabilior*, cum Coninch., Rhodes, Dicastill., Bernal, Haunold, Gobat, Sporer, Bosco, apud La Croix, lib. vi, part. 1, n. 168, et alii contra paucos. Si enim catechumenus Christianam fidem jam animo amplectus, aut quivis infidelis curans se instrui in fide Christiana animo eam amplectendi, cum fuerit bene instructus, hac voluntate non revocata reperitur in articulo mortis ratione et sensibus destitutus, quamvis de baptismo in specie nunquam cogitaverit, potest valide et licite baptizari. Nam, eo ipso quo voluit amplecti fidem Christianam, implicite etiam voluit servare Christi præcepta et admittere media salutis in Christiana religione constituta, inter quæ primum et omnium maxime necessarium est baptismus, et consequenter ea voluntate etiam implicita voluit baptismum, saltem pro illa extrema necessitate suæ æternæ salutis, et sic docet etiam S. August. lib. 1, de Adulterinis conjugis, cap. ultimo.

(34. Ad confirmationem sufficit intentio habitualis, forte etiam interpretativa, maxime in articulo mortis: Coninch., Arriaga, Bernal, Busemb., La Croix loc. cit., num. 169, et alii. Ad Eucharistiam sufficit intentio habitualis: *Communis*. (35. Imo in moribundo sufficit etiam intentio interpretativa, præsertim si ante confessus est quamvis jam a mente sit amotus, dummodo absit periculum irreverentiæ: Suarez, Coninch., Rhodes, Lugo, Aversa, Bernal cum La Croix loc. cit., num. 770; Sporer tom. III, part. 1, cap. 2, sect. 3, num. 154, et alii. (36. Ad poenitentiam sufficit intentio habitualis: *Communis*. Imo in moribundo sufficit etiam implicita vel interpretativa, dummodo dolorem aliquo signo externo exprimat, et in casu quo nullum signum externum possit exhibere, sufficit sola vita Christiane acta, ut possit, saltem sub conditione, absolvi; Sporer loc. cit., num. 158; Barbosa in Collectan. ad Concil. Trid., sess. 24, de Sacramento Poenitent.; cap. 5, n. 2, alios plurimos citans, Marcantius, Herinex, Pontius, Bosco, Basseus, Anacletus, Felix Potestas, Schilder, Moya, qui hanc sententiam vocant nunc communem. Vide verb. *absolutio*, art. 2, a n. 3 ad 7, in-

clusive, ubi pluribus adductis late probatur. (37. Ad extremam unctionem sufficit intentio interpretativa: *Communis*, cum Bernal loc. cit., num. 79; La Croix loc. cit., num. 172; Sporer loc. cit., n. 154.

(38. Ad ordinem non sufficit intentio interpretativa, sed requiritur saltem intentio habitualis: *Communis*, et secundum Gobat, tom. I, tract. 1, num. 245; Sporer loc. cit., num. 156; et alios sufficiet etiam intentio imphcita, habita scilicet in alio voluto sacramentum istud involvente. Ad matrimonium non sufficit intentio interpretativa, sed requiritur intentio expressa, ad minus virtualis, saltem quando contrahitur inter præsentem, eo quod contrahentes sint etiam ministri: *Communis*. (39. Ratio autem cur potius requiratur intentio, saltem virtualis, in ministro quam in suscipiente; et in ipso suscipiente sufficiat intentio habitualis et interpretativa, et hæc non sufficiat in ministro: est quia (40. minister conficiens sacramentum debet se habere active et causaliter influere in actionem sacramentalem; adeoque ejus intentio debet actu, vel in se, vel in virtute a se relicta existere, quando conficitur sacramentum. At vero suscipiens sacramentum habet se passive tantum; adeoque in ipso non requiritur intentio quæ sit causa actionis sacramentalis, ut est intentio actualis vel virtualis, sed sufficit in ipso intentio quæ sit dispositio ad suscipiendum sacramentum et recipiendum effectum sacramentalem, ut est intentio habitualis, et pro aliquibus sacramentis, etiam implicita et interpretativa, ut patet ex dictis. Sic Sporer l. cit., n. 145; Henno tom. II, tract. de Sacramentis disp. 5, quæst. 2, conclus. 4, vers. *Quantum ad Matrimonium*; La Croix loc. cit., n. 56 et 175, et alii passim.

(41. Ad valide applicandum sacrificium seu missam non requiritur intentio formalis et explicita, sed sufficit virtualis et implicita, et ita quidem, ut si religiosus nemini applicavit suum sacrum, censeatur esse ejus voluntas ut prosit illis pro quibus sacrificari et applicari mandavit superior: Diana, p. ii, tract. 15, resol. 62; Cavant., part. ii, tit. 8, n. 3, litt. P.; Gobat, t. I, tract. 3, n. 162; Stephanus, tom. V, d. 4, n. 61; La Croix, lib. vi, part. ii, num. 204, et alii. (42. Pro tali missæ applicatione sufficit etiam intentio habitualis semel posita et non revocata, quamvis ante 10 annos præcesserit: Suarez, Coninch, Bonacina, Tamburin, Gobat, Quartus, Stephanus, Pasqualig., cum La Croix loc. cit., n. 205; Viva in propos. 28, n. 14, ex damnatis ab Alexandro VIII; et alii contra Vasquez, Gran., et alios. Et ratio est quia applicatio missæ est veluti donatio de præsentem sive assignatio rei futuræ, quæ fieri potest anticipata, et sub conditione, qua posita, sortiatur effectum, cum, purificata conditione, talis assignatio conditionata transeat in absolutam. (43. Pro consecrandis parvis hostiis sufficit intentio ante habita, quamvis postea, dum major hostia consecratur, ad illas expressa reflexio non habeatur: *Communis*, cum Castrop., part. vi, num. 3,